



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CLXXXV. De Occisione multorum Pogesanorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

PARS TERTIA

270

Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ordinis Teut.  
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. Prussia.

rum non sine maxima strage fidelium, fratres jugo fidei vice altera subjecissent, & crederent, quod esset pax & securitas, repentinus supervenit interitus. Nam inimicus humani generis, hostis fidei, pacis æmulus Diabolus, intrans in corda ipsorum, provocavit eos, ut iterum rebellionis calcaneum exigerent, ac contra stimulum indurata nequitia calcitrarent. Cujus consilio acquiescentes omnes præter fideles Pomesanos, facta (a) conspiracye, apostasiæ vitium committere intendebant. Nullus tamen publicè audebat se fratribus opponere, præter Pogesanos, qui Commendatorem de Elbingo & Helvicum de Goldbach Commendatorem de Christburg, & eorum socios armata manu invadentes, captos deduxerunt. Sed quidam dictus Povvida statim ipsos liberavit, Capellatum ipsorum Sacerdotem per gulam ad arborem suspenderunt, & quendam famulum ipsum interfecerunt, reliqua pars familiæ in fugam conversa vix evasit.

ANIMADVERSIO.

(a) Defectionem hanc cœpisse An. 1272. Annone de Sangerhausen Magistro, & usque ad tempora Hartmanni Magistri, videlicet ad An. 1279. durasse, scribunt alii. Vid. Cœlestinus Mislenta in *Præfat. ad Manuale Pruthericum.*

CAP. CLXXXV.

De

*Occisione multorum Pogesanorum.*

Hoc tempore Frater Theodorus de Lidelovv Advocatus Sambiensis de Almania reversus, Sambitas, qui ipsum terrime dilexerunt, ab errore hujusmodi revocavit. Quod cum Nattangi & Warmienses perciperent, & ipsi à conceptâ militiâ destiterunt, promittentes bonâ fide Fratribus adhærere.

Con.



*Hartmannus Cœ de Heldrungen VIII. Mag. Gener. Ord. Teut.*

*Conradus de Tierberg IX. Mag. Provinc. in Prussia.*

Congrato itaque magno exercitu frater Conradus de Tierberg Magister & Fratres intraverunt terram Pogesaniæ, & viris sine numero interfectis, vastatâque terra incendio & rapinâ, mulieres & parvulos captos deduxerunt. Dum autem hæc agerentur, tam viri quam mulieres maledixerunt cuidam Sambitæ dicto Bonse, Camerario de territorio Pubeten (a) afferentes, quod ipse hujus nefandi criminis auctor fuisset motivum primum & origo. Hic Bonse voluit habere manifestè duas uxores, & quia fratres hoc prohibuerunt, provocatus in iram, omnes quasi Pruthenos ad Apostosiam incitavit. Unde ex gentibus ejus demeritis, morte, quam meruit damnatus.

#### ANIMADVERSIO.

(a) Ubi olim Sacer fuit Iucus. *Vid. Henneb. pag. 350.*

#### CAP. CLXXXVI.

*Ad Idem.*

EOdem anno, tempore autumni Fratres iterum armatâ manu intraverunt prædictam terram Pagesaniæ, & vastatâ iterum incendio & rapinâ, captis & occisis omnibus, præter paucos, qui cum familiâ sua versus Lethoviam ad territorium castri Garthe secesserunt ipsam in solitudinem redegerunt.

#### CAP. CLXXXVII.

*Vastatione terræ Colmensis & territoriorum castrorum Grudens, Insula S. Mariæ, Santirii, Cruceburg, & destructione castri Elementis.*

Hoc

